1

89

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis septima Decembris 1713.

M. PHILIPPO CARON, Doctore Medico, Præside.

An plenitudini solvendæ omnis generis evacuatio?

I.

VITA animantis, motus ad functiones edendas speciei suæ proprias idoneus. Reciprocus est tensionis & remissionis alternatim sibi succedentium. Corpus organicum supponit, partes nempè solidas ritè constructas quæ complementum habent à fluidis contentis, à quibus diducantur ad extensionem debitam, mollescant, foveantur. Quin & fulciantur, librentur & resarciantur. Præcipuus motûs reciprocantis effectus, circuitus sanguinis aut succi analogi. Hunc cæteri consequuntur. Ut rectè fiat, molis quantitas necessaria, non tamen exactè definienda. Plus minùsve operam præstant dum intrà modum. Minor quantitas non relinquit vacuum corpus, major distendit ultrà tonum necessarium. Illa functiones debilitat, hæc præcipitat, confundit, suffocat. Alterutra extrema mortem infert. Porrò multitudo sanguinis & vasorum plenitudo idem est. Ad continentia vasa relationem habet nec solâ quantitate æstimatur. Hæc quanta sit, non major quàm quæ impelli potest & facilè agi in circuitum, plenitudo non est, ab exuperantiâ nomen sortitur. Universalis aut particularis: duplex ad vasa & ad vires. Illa quæ multitudine distendit vasa ut tumorem faciat, ruptionem minatur: hæc vasi minùs licèt distento vim infert nec patitur se impelli, sed rebellis resistit cui ex ordine naturæ cedere debet non solùm pro loco in corpore commutando, sed pro sui è corpore extrusione. Indè oriri morbos plerosque non malè asserunt. Tunc enim moles corporis universa intumescit, omnia membra præsertim ab exercitatione exporrigi videntur, tensionis sensus invehitur. Lassitudines spontaneæ, suffocationes, hæmorrhagiæ, impedimenta functionum; hebetudo, gravitas subsequuntur. Prodromus morborum non multo tempore eget, subitò ingruit. Nonnunquam facilè evanescit nullâ facta evacuatione sensibili, non tamen sine nullâ. In plenitudine quid mali sit frustrà quæras: obvium est. Nec causa latet. Nec idæa morbi indaganda tot producendorum symptomatum potens. De principiis corporum superflua disquisitio. Sanguis ipse vel probus copiosior aut consistentiâ magis renitens plenitudinis materia & causa efficiens. In juvene, sene, exercitato & otioso; debili & robusto; quolibet anni tempore contingit si quod assumitur intra vasa, parili proportione non eliminetur, quâcumque formâ quâcumque viâ effluat.

II.

SANGUINIS multitudinem congeri sæpiùs ut agnoscas, non longâ indiges contemplatione. Ejus essentiam indagandam permitte curiosis. Principiis constare æquè ac reliqua corpora extrà dubium, verùm ea definire vel eorum proportionem parùm pertinet ad medicum. Varia ejus temperamenta, miscibilium æquabilitatem enarraverunt antiqui nullo fructu: humorum quattuor sanguinem componentium doctrina explosa est. Chymistarum principia famam præripuerant & labascit; quoniam ex iis emolumentum non uberius. Integer sanguis & ejus conditio in causa sunt: ergo sensibus fides & prima simplicitas

potior utiliorque judicatur. Sanguis è chylo intra vasa admisso. In eo substantia duplex obvia; serum nempè & pars fibrosa quæ primo aspectu rubet aut nigricat, sed cujus tamen pars longè major albescit, si aquâ elota fuerit & detersa ichore purpureo ablato. Pars hæc alba fibris constans quasi nerveis membraneisve mucosis mirè implicitis, quarum extrema in fimbrias producuntur, cellulas habet excavatas aut fibrarum interstitia quibus purpureas particulas easque sphæricas excipit. Eadem sanguinis corpus constituit; calore concrescit sero effluxo, simili ferè modo compressione factâ. Expansa purpureos globulos exponit & rubra apparet, contracta celat & alba aut plumbea conspicitur. Moles sanguinis mollis, sufficienti nempè sero diluta, vasorum figuris sese accommodat, meatus subit eâ facilitate ut nullus indè labor; turgidulæ partes fulciantur, duritie tamen aut resistentiâ non offendantur. Corpus ritè organicum motu oscillatorio talem sanguineam massam exagitans vitam perennat: nec enim aliud vita animantis, cujus perfectio sanitas. Circuitus sanguinis autor functionum. Ibi tristis subit cogitatio. Hæc quàm diu? Sanguis in horas renovatur & perit. In ipso fluore, vita. Fluoris commoderatio, sanitas. Nullus avaritiæ locus; corpus ad statum speciei suæ definitum cùm provectum est, si plus sumat quàm perdit, plethoram accersit ad vasa: si exercitio discutiat quod recepit, sæpè movet impensiùs quàm oporteat. Indè sanguis sero expresso spissior obturat canaliculos. Si vi adactus majori quantitate, distendit. Quidni spissior ampullas excitat quarum circumferentia tenacior, siccescens & continuatis ictibus excutiens ichorem facessit in pellem non facilè solvendam. Hæc plethora ad vires. Tunc sanguis non continuò & placidè fluit, partes non irrigat, fulcit, recreat; tardat, impedit. Occasio est plethoræ ad vasa quam sequitur œconomiæ naturalis perturbatio variis iisque gravibus symptomatibus stipata. Desine scrutari causas abstrusiores. Partibus solidis cum liquidis non convenit amplius. Munia non exercentur ex ordine naturæ, secretiones non succedunt. Verùm prudentiâ cavetur ne errore quopiam hæc accersantur, gaudeo. Restant fortuita quæ non minùs præstant sive agant in corpus & malè afficiant sive agere desinant, aut non rectè suam operam navent.

III.

QUAM sæpè homines malè habent, si statim de sanitate instaurandâ desperandum esset, pessimè vitam ducerent. Ut autem tuerentur præsentem, laborantem juvarent plerique Medicorum de alimentis præcipuo studio tractarunt. Reverâ rerum omnium quæ sunt in medicinâ, ea propè modum utilissima. Sanguinis succi primarii materia chylus ex his conficitur. Super hac materia suprema lex est. Assumi debet, præparari ad usûs, adhiberi: his defuncta muniis abigi. Alioquin, olim necessaria impedimento est jamque vitio vertit. Commercii pars cessat, immutatur: morbus insurgit, mors instat. Vis definiti assumendorum pondus & perdendorum, adhibendorum & vitandorum quantitatem, qualitatem, tempus, rationem. Non hæc semper eadem, sed prudentiâ regi postulant. Nisi assumantur alimenta & ex his conficiatur chylus, sanguis incalescit, concrescit, exsiccatur. Ad circuitum minùs aptus turgescit & partibus offensa est. Ipsæ partes solidæ arescunt & nimis elasticæ motum suum intendunt; nulla pax, ordo perturbatur. Secretiones non fiunt ex instituto naturæ. Si fortè non cessent, contabescit corpus, & hic error vix potest emendari vasis conniventibus. Sin autem ingerantur copiosiùs aut naturæ non convenientis: vel non pateant viæ per quas effluant particulæ quæ emeritæ secessum affectant, aut ipsæ ad exitum non dispositæ attritione sufficienti, sanguis accumuletur necesse est. Subducitur materia alimento ex parte denegato. Quod conceditur, eligitur minus valens. Tenuis diæta mirum quantum profit. Partes solidæ humescunt, laxantur: diluitur sanguis, remittit tumorem, permittit se propellentibus, effluviorum tenor continuus exonerat corpus. Fames admonet fomitis præbendi, alacritas probat rem benè gestam, perpetratum anreà malum emendatum. Verùm non semper eodem successu gaudet natura. Præsenti auxilio eget sæpissimè, nec diætâ tenui delinita atque recreata sufficit oneri excutiendo. Materia impacta, tenax solidescens ablutione non statim

mollescit, non eruitur ex loculis, nec partes desinunt constringere ex aspersione quam respuunt. Saltem tempore opus est: sed non conceditur, exacerbatur malum & vires deficiunt, opprimuntur. Libertas quærenda aliundè. Arte paretur via; quod non cedit, impellatur, quod non aperitur sponte, diducatur, hostis exulet. Ars ergò valet duplici ratione, adjectione & detractione. Utramque cautè adhibet ex cognitione rerum è quibus corpus conflatum est & earum quæ in illud agunt: nec unico fidit auxilio, quia multis utitur corpus & multis eget. Vias novit & operationes; modos habet perspectos & occasiones agendi. Artis minister attentus non properat, non otiosus cunctatur. Opportunitatem plurimi facit fortunamque sic reddit obnoxiam: non quia contemnit, sed quia superat prudentiâ. Interim nihil respuit quod possit esse ex usu.

I V.

QUOT modis natura valens exonerat superflua, totidem ars conatur eliminare cum pressa gemit illa sub onere quod excutere non potest. Auxilium præsens missio sanguinis; fontem minuit à quo exundatio. Scaturigines non negligit, ne præpedita sequela occasio sit perpetua exuperantiæ funestæ. Secretiones si fieri cessent aut malè peragantur, conatur restituere. Linit, fovet, diluit, laxat, premit, excitat: revellit, derivat. Præter potulenta & esculenta res non naturales diætæ generali subditas adhibet; ineptas mutat quantùm potest, quas nequit regere iis substituit medicamenta. Nihil violentum, nihil mite reputat quod in ipso consideret, cuncta refert ad corpus quod juvandum suscepit. In omnibus tamen facilitate, non vi, consilio non temeritate molitur. Vomitum excitat, fœces ducit, urinam pellit, sudores movet nec alias evacuationes reformidat. Si symptomata sequantur, non statim, comprimit, etiamsi posset, sed priùs de commodo aut incommodo meditatur & judicat. In his non indiscriminatim movet quæ magis ex voto; non ex prædilectione eligit, sed necessitatis sequax ex methodo naturæ suam instituit. Cocta medicatur non cruda, turgentia exigit quam primùm, sed summopere cavet ne quæ turgere creduntur, cruda vel inflammata sint quæ quidem medicamento non cedunt, cùm tamen ab eo corpus malè conturbetur. Coctionem non intelligit solùm de iis quæ per alvum feruntur: nomen genericum est commune omnibus in corpore contentis. Perfectionem dixere à calore. Calor à motu expansivo. Perfectio humoris est ejusdem conditio naturali propior quàm ordine præparationis adipiscitur. Tempus requirit quod semper ut causam & ut signum considerare debet medicus. Novit naturæ minister quam abundè effluat materia sanguinis per transpirationem insensibilem, eamdem non procedere nisi ultimâ elaboratione subactam. Nihil temerè tentabit per hanc viam, si sanguis egeat attenuatione & ab eâ absit longiùs. Minùs si corporis tunc propensio in aliam incumbat. Urinæ copia non rarò compensat transpirationis defectum: propriam subjecti naturam ex ejusdem consuetudine & specie morbi speculatur, ne adversâ naturâ frustrà ipsam sollicitet. Sic de omnibus omninò evacuationibus an ferat ex facili aliquam, cæteris fatigetur; successu læto usa fuerit an tristi. Imprimis mente complectitur quod sæpiùs objicitur oculis, in ipsa sapientia modum requiri. Nec frequentiùs negotia malè succedere quàm cùm satagit qui ea procurat. Melius si sinat fieri. Sic in naturâ non festinandum. Quò natura vergat, quid faxit si expectetur securè provoces. Prævertes frustrà aut noxie. Non minùs lædes, si plura præstes quàm destinaverit. Imò si importunè lacessas, ab opere incepto desistit ad alia convertitur. Sic accumulas succos per vexationem evacuationi dicatam. Cessanti favent nonnunquam fortuita, sed miti natura conjungitur, eique non aliis conceditur facultas eligendi, quod factu optimum est.

V.

IN plethorâ solvendâ quid faciendum res ipsa indicat. Materia superflua minuenda est. Hoc confirmat ab evacuatione medela. Quâ ratione fieri debeat detractio, non adeò facilis judicii. Hæc tamen ad id conferunt. Contenti in corpore sunt sanguis ex chylo confectus & humores ex sanguine secreti. Ex his alii in sanguinem denuò refluunt, alii amandantur jam facti inutiles. Corporis

facultate reguntur in varios usus partibus communi. Inter agens & patiens conveniat necesse est ad actum. Finita potestas cuique. Nihil ultrà determinatam potentiam expectandum. Si longè præpolleant solida, vexati succi extruduntur, aut comminuti plus satis renitentiâ privantur. Si nimia quantitate aut soliditate obsistant solidis, vis eorum frangitur aut excitatur ad excandescentiam quæ contrà naturam est. Ab invicem benè vel malè habent. Solidis prospicit qui benè curat succos. Fomite rectè administrato rariùs exorbitant. Non tamen satis est hæc cura. Post usum fractæ particulæ exauctorari debent & emitti. Sunt ergo duæ plenitudinis causæ præcipuæ: ingestio materiæ copiosioris aut contumacioris atque retentio emeritæ. Cætera per proportionem occasionemve. Quidquid ad digestionem & excretionem inseruit, defectu aut vitio facit ad plenitudinem, intrà extrave corpus situm sit quod facit & juvat. Plenitudo universalis est quæ universum corpus occupat, particularis quæ partem aliquam obsidet modo quo diximus. Ambæ communicant ut potè in corpore cujus confluxus & conspiratio extrà dubium. Si partem quæ plenitudine laborat exonerare statim facile est, malè mulctat reliquum corpus qui ab eo detrahit. Sed quàm sæpè vana fuere talia promissa æruscatorum! Si neque possibile est præstare statim neque ex delectu, faciendum subsidio communi & cautionibus artis. Quamvis ad partem particularem materia confluxerit, in ea stagnet & retineatur ex sanguinis flumine derivatam, ad illud pro majori parte revehendam oblivisci medicus non debet. Frustrà exundantem fluvium compescere & in alveo continere tentabis in eo obice constructo solido licet, ni detur locus. Concesso exitu, in spatium liberum aquæ spontè remeant. Delectus agendorum procul dubio necessarius est, sed à viro probo & artis perito instituendus. Nec tam à longinquis regionibus petenda medicamenta aut arte præparanda sunt quàm attentè animadvertendum quæ intrà extrave corpus juvant, aut lædunt, movent, obsistunt. Re parvâ natura restituitur. Quasi nodo soluto libera medicatrix morborum vires resumit. Hoc opus præcipuum. Qui corruptionem humorum accusant, viderint quâ ratione id faciant cum ii sub antiquâ formâ appareant; alterationes morbosæ ad sanorum dispositiones restituantur evacuatione portionis non magis corruptæ quàm quæ in corpore remansit; quonam modo contentum putrescens vas non corrumpat ut in gangrænâ contingit. Cæterùm fistulosum universum corpus rimosum quoque est. Viget libertate fluoris. Qui hunc scitè procurat, adjuvat intentum. Non unius speciei evacuationem molitur, non semper obtinet ex voto: qui deficientem restituit aut tempore & modo compensat, fert opem.

Ergo plenitudini solvendæ omnis generis evacuatio.

Domini Doctores disputaturi.

M. Joannes-Baptista Martinenq.	*M. Thomas-Bernardus Bertrand.*	*M. Franciscus Afforty, antiquus Facultatis Decanus & Chirurgiæ Professor.*
M. Joannes-Henricus Imbert, è Regia Scientiarum Acad.	*M. Ægidius Adam.*	*M. Germanus Preaux, Professor Regius.*
M. Franciscus Pousse.	*M. Camillus Falconet, Regiæ utriusque aulæ equestris Medicus ordinarius.*	*M. Joannes Cordelle.*

Proponebat Parisiis PETRUS-ANTONIUS LEPY Parisinus, Baccal. Medicus, A. R. S. H. 1713.

Ex Typographia JACOBI QUILLAU, Typ. Jur. Lib. Universitatis, in via vulgò dicta *Galande*.